



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXXIX. Vtrum prædicatadiuina multiplicentur per proceffiones, relationes,
notiones, & proprietates, atque per ipsas constituentur in se, &
distinguantur inter se tres personæ Diuinæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

terminorum; eorundemque substitutionem respectu conceptuum interiorum diuersimodè concipiendum, atque experimentum prædicata diuina; subeuntia pròinde diuersas, ac oppositas inter se prædicationes, vtpotè pendentes, quoad suam veritatem, & falsitatem, non à sola entitate obiectorum, sed etiam, & maxime, à modo illa exprimendi per nostros conceptus. Nec enim institimus prædicationes de rebus, præcisè, vt sunt in se à parte rei, sed vt subsunt apprehensionibus nostris, & secundum apparentiam, quam sortiuntur per illas, respectu intellectus.

Art. 3. Eadem est ratio de aliis eiusmodi transitionibus à sensu reali, ad sensum formalem, quarum plura exempla data, & exposita sunt in argumentis, & responsionibus q. 4. circa prædicata absoluta Dei, inuicem collata: Obseruandum verò est attentè, quod iam iterum præmonui, obrepere facilius æquiuocationes, & fallacias ex eiusmodi transitione, circa absoluta, & relatiua, inuicem collata, propter distinctionem rationis possibilem inter ipsa absque relatione eorum; per intellectum, ad diuersa connotata creata: cum inter prædicata absoluta inuicem collata, vel etiam inter prædicata relatiua vniuersiuique Personæ propria; dari non possit eiusmodi distinctio rationis, absque relatione ad connotata exte inleca, realiter inter se distincta, atque diuersa, vt manifestatum est supra art. 12. & 13. Vnde eadem diuersitas prædicationum, & veritatis, atque falsitatis ipsarum reperiri potest in prædicatis absolutis, & relatiuis Dei, independentè à connotatis extrinsecis, quæ dependent ab ipsis reperiri inter prædicata absoluta, vel etiam relatiua, inuicem seorsim collata. Apparet itaque clarè ex his omnibus æquiuocatio obiectiōis, & vnde ea suboritur, atque ex hoc mysterio inferri minime posse, quod eidem formalitati conueniant prædicata contradictoria, absque reali distinctione ipsorum saltem inadaquata, & in tertio, præterquam in sensu formali, & reduplicatiuo. Qui sensus inuehit formaliter prædicata contradictoria in formalitates creatas, necnon in formalitates absolutas Dei, identificatas inter se realiter adæquate, absque distinctione reali in tertia aliqua formalitate.

Art. 1. Ad 5. Syllogismi quasi expositiōis, circa Deum, in quibus comparantur mutuo prædicata absoluta, & relatiua, distinguendi sunt, iuxta notata supra de variabilitate suppositionis propriæ, & peculiaris, Diuinitatis, deque ipsius eatenus æquiualentia, respectu termini vniuersalis. Adhibita autem idoneè distinctione, & reductis omnibus terminis ad vniuersalem suppositionem, inueniuntur prædicti syllogismi concludentes cum æquali euidentia circa Deum, vt complectitur Mysterium Trinitatis, & circa res creatas. In syllogismo obiectiōis deest vniuersitas ista suppositionis, & distributionis, ideoque non concludit, & debet exponi distinctione, hoc modo: Hæc Paternitas est hæc essentia adæquate, & conuertibiliter, nego maiorem: inadaquate, & cum distinctione reali in tertio, concedo maiorem: & minori propositione similiter distincta, negatur Consequentia. Quod non indiget vltiori expositione, sed sola eorum inspectione, quæ superius exposita sunt.

Art. 2. Quando termini fuerint, vel omnes æquè communes, vel omnes æquè non communes pluribus realiter distinctis, non opus erit eiusmodi additamento distributionis, sed syllogismi concludent eodem prorsus modo circa Deum, quo concludunt circa res creatas. Quod autem in creatis nunquam opus sit tali addito, distribuentem terminum singularem, in causa est, quod circa res creatas non potest euenire, prout euenire potest circa Deum, vt terminus formaliter singularis, seu non vniuersalis formaliter,

simul sit æquiuolenter vniuersalis, vtpotè communis formaliter pluribus realiter inter se distinctis, propter rationem discriminis supra explicatam dependentem ab infinitate Dei.

Art. 3. Quod ibi opponitur in fine de eadem infinitate distinguente infinitè, atque aded redidente impossibilem identitatem realem prædicatorum, realiter inuicem distinctorum immediatè, cum tertia formalitate vtriusque communi, ex eo diluitur facillè quod Deo non conuenit infinitas formaliter ex parte prædicatorum Dei, quæ distinguuntur inter se, & multiplicantur realiter, sed solum ex parte prædicati realiter immultiplicabilis secundum se, atque essentialiter communis per summam identitatem cum omnibus, & singulis prædicatis Diuinis, vt apparebit ex iis, quæ dicuntur in q. 40. Inde enim fit, quod prædicata relatiua Dei possint inter se distingui realiter, atque multiplicari, quin simul distinguantur realiter, ac multiplicentur omnia identificata cum ipsis, tametsi prædicata absoluta Dei possint identificari realiter cum aliquo prædicato relatiuo, quin identificetur cum eodem, quidquid est identificatum cum iisdem prædicatis absolutis. Inde nimirum existit diuersitas Dei à creaturis, quoad hoc mysterium, vnde est infinitas Dei, iuxta dicta in tota hac quaestione, & promouenda, quoad hoc punctum; in ex quaestione 40.



QVÆSTIO XXXIX.

Virum Prædicata Diuina multiplicentur per Processiones, Relationes, notiones, & proprietates, atque per ipsas constituentur in se, & distinguantur inter se Tres Personæ Diuinæ?



IDENTVR non dari in Deo eiusmodi pluralitas, & talia prædicata. 1. Quia omnis eiusmodi pluralitas, fundatur in Processione reali vnius ab alio, certè est conuertibilis cum ipsa, quandoquidem omnia, quæ aliquo modo distinguuntur inter se, necessariò reuocantur ad aliquod vnum, à quo procedunt cetera eodem proportionaliter modo, ne sint inuicem inordinata, & coëxistentia sibi mutuo tanquam à calis, prout arguebatur quæst. 4. in postrema ratione veræ sententiæ. Processio autem realis repugnat Deo in se ipso: Tum quia processio significat motum ad extra, qui pròinde repugnat, vt conueniat cuiquam intra se: Tum quia omne procedens est diuersum ab eo, à quo procedit. Repugnat verò omnis diuersitas, vbi est summa simplicitas, ac vnitas, atque hæc est essentialis Deo, ex q. 3. Tum quia Deus secundum se totum est ens à se, vt in vtraque ea quaestione, & in q. 2. ac 5. dictum est. Repugnat verò in terminis, vt ens à se, sit ens ab alio, & tamen est de ratione procedentis, vt sit ab alio. Ergo processio ad intra repugnat conceptui Deitatis, seu repugnat Deo, vt simul sit procedens, & à quo est processio.

2. De conceptu relationis est. Primum, vt non prædicetur de aliquo, prout docet Boëtius lib. de Trinitate ad med. Deinde, vt distinguatur aut supponatur distincta, id, cuius est, & id, ad quod est. Tertio, vt si quidem fundetur in ratione principij, non sit realis, sed rationis

rationis tantum, vt apparet ex ratione principij, quod conuenit Deo respectu creaturarum, ad quas non refertur relatione reali, sed rationis, vt fert communis opinio Diui Thomae q. 13. art. 7. & aliorum ibid. Demum vt sit debilissima entitatis, & minimum omnium habens de esse, vt ostendit D. Thomas 4. Contra Gent. c. 14. Quidquid autem est in Deo realiter, est predicabile realiter de ipso. Quia quidquid est in Deo, est ipse Deus; & vnumquodque est predicabile de seipso. Quia ipsa ratione repugnat in Deo distinctio realis termini a quo, & ad quem. Quia nihil distinguitur realiter a seipso. Præterea relatio, quæ esset in Deo, necessarîo fundaretur in ratione principij. Quia omnis alia relatio supponit essentialiter relationem fundatam in ratione principij. Nihil autem diuinum supponit ante se, aliquid aliud, tanquam principium, & tanquam prius in eodem genere; cum omne diuinum, ex suo conceptu, sit primum sui generis. Demum, vt iterum dictum est, omne, quod est in Deo, est Deus, qui est summum & maximum ens; ac proinde nihil diuinum est debilis entitatis, & parum habens de esse. Repugnat ergo, vt dentur in Deo relationes aliqua reales.

3. Notio est predicatum, per quod res dignoscitur, vt distincta ab alijs, & sortitur nomen proprium. Deus autem non habet nomen, per quod dignoscatur, & distinguatur ab alijs. Quia, vt dicit Dionysius c. 1. de Diuin. nomin. *Neque nomen eius est, neque opinio.* Et Proverb. 30. 4. *Quod nomen eius, dicitur, & quod nomen Filij eius, si nosti?* Quasi dicat, nullum. Et si quidem admittatur nomen Dei, non nisi vnicum realiter admittendum est. Quia esse eius est vnicum, & simplicissimum. Ergo in Deo, vel nulla notio est, vel certè non nisi vnica admittenda est. Consequenter nulla est proprietas Dei, vel certè non nisi vnica est. Quia vnumquodque per suam proprietatem, vel proprietates est distinguibile, discernibile, ac nominabile.

4. Si darentur plures Personæ in Deo, darentur plures habentes Deitatem, & quarum singulae essent diuinæ, & Deus; ergo darentur plures Dij: sicut plures Personæ humanæ, seu habentes humanitatem, sunt plures homines. Quæ sequela est perabsurda, vt patet ex quaest. 3. Deinde vbi est pluralitas aliqua determinata, ibi est numerus. Numerus autem repugnat Deo. Quia est species quantitatis, quæ repugnat Deo à toto genere, vt indidem constat.

Art. 1. Resp. Myſterium Trinitatis diuinæ, cuius existentia stabilita est, & protecta possibilitas, in quaest. præcedenti, duo includit in se, vnitatem Naturæ, & pluralitatem Personarum. De vnitatem dictum est satis q. 3. & seqq. Circa pluralitatem duo exponenda sunt. Primum, an detur in Deo principium sufficiens eius pluralitatis complectentis tres tantum Personas, constitutum per Processiones, relationes, actiones, & proprietates; & an hæc eadem sint necessaria ad realem distinctionem, & pluralitatem predicatorum in Deo? Hoc secundum exponetur in quaestione sequenti; Primum verò in quaestione præfenti. Sed prius explicandi sunt termini, quorum videlicet expositio merito in omni disciplina præmittitur expositioni rerum, sed maiori cum necessitate circa Myſterium diuinæ Trinitatis, circa quod nimirum vel maxime verificatur illud Hieronymi apud Magistrum in 4. dist. 13. fin. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæc scis.* Cum enim circa Deum vtamur vocibus, quæ primitus impositæ fuere rebus creatis, omnis nostra locutio circa Deum, est incomposita: vt dicit Dionysius propter modum essendi diuinum, vt infinite distantem à modo essendi creato, sed est incomposita multo magis, ideoque periculosior circa

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

myſterium Trinitatis, vtpotè oppositum, & non solum infinite dissimile, quoad suum modum essendi, modo essendi creaturarum.

Art. 2. Itaque Processio est emanatio, & origo vnius ab alio, seu, est id, ratione cuius formaliter vnum est, seu producit ab alio. Relatio, ex Philosopho in prædicamento ad aliquid, est, cuius esse est ad aliud esse, seu est habitudo vnius ad aliud. Quæ purè refert, dicitur prædicamentalis, vt quæ est dextri ad sinistram. Transcendentalis verò, quæ aliquid aliud præterea præstat, vt quæ est gignentis ad genitum. Notio sumitur in præfenti obiectiue, & est predicatum, ratione cuius vnumquodque est notabile, ac designabile secundum quod ipsum, atque discernibile ab alijs. Confunditur non raro cum notione proprietatis, sed non semper, nec apud omnes, vt obferunt ea, quæ solet, abundantia eruditionis multiplicis, Montoya d. 47. de Trinit. sect. 5. Exponitur verò paulò post proprietas art. 5.

Art. 3. Dicendum iam est, dari in Deo duas Processiones reales, alteram propriam Filij, alteram propriam Spiritus Sancti. De processione propria Filij dicitur Ioan. 8. 42. *Ego enim ex Deo processi, & veni, &c. 27. Et credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum.* De Processione propria Spiritus Sancti dicitur in eodem Ioannis Evangelio 15. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mitto vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Prior processio est per intellectum, & posterior per voluntatem, vt liquet ex testimonijs indicatis q. 4. in 5. ratione dubitandi, ex cuius responsione patet, quo sensu verificetur vtrumque, idemque patebit clariùs ex dicendis. Ratio dualitatis processionum realium in Deo, est, quia in natura intellectuali duo solum sunt genera operationum immanentium in ipsa, nempe intellectus, & voluntatis. Quia verò Deus comprehendit perfectè omnia intelligibilia vnico actu intellectus, & similiter omnia volidilia vnico actu voluntatis, vt dictum est supra, propterea non datur vltior processio distinctio, & multiplicatio realis, sed sistitur in dualitate. Vtraque processio diuiditur in actiuam indistinctam à principio producente, & in passiuam indistinctam à termino producto. Nempe in Deo tam principium, quam terminus sunt intrinsecè vltimo determinata per se ipsa præcisè, illud, vt producat, iste, vt producat, atque in eiusmodi determinatione consistit formaliter conceptus Processionis actiue, & passiue. Quia etiam de causa Productio actiua Creaturarum, quatenus productarum à Deo, merito ponitur à Diuo Thoma, & ab alijs communiter indistincta realiter à Deo, quatenus liberè volente existentiam ipsarum.

Art. 4. Processio per intellectum dicitur, & est verè generatio, vt infra ostendetur: Vnde actiua eiusmodi Processio fundat relationem Patris in persona producente; Passiua verò relationem Filij in persona producta. Similiter Processio, quæ est per voluntatem, dicitur, & est Spiratio, & quæ actiua est, fundat relationem Spiratoris, in personis Spirantibus, nempe in Patre, & Filio; Passiua verò, relationem Spirati in Persona spirata, nempe in Spiritu Sancto. Quare ad duas processionem diuinæ, consequitur quatuor relationes in Deo, & sunt reales, quia Processiones, in quibus fundantur, sunt itidem reales.

Art. 5. Eadem porò prædicata, quæ comparatione mutua personarum secundum se, dicuntur relationes, comparatione earundem cum essentia, & natura, quæ est illis omnibus communis, dicuntur proprietates Personales, & comparatione intellectus dicuntur notiones. Verum quæ sub conceptu relationum, sunt quatuor, vt liquet ex enumeratione

N 2 facta.

facta, sub conceptu proprietatum; sunt tantum tres. Quia una ex relationibus, nempe relatio spiratoris, est communis duabus personis, Patri, & Filio. Quod autem est commune duobus, respectu neutrius eorum, sed nec respectu utriusque simul dicitur proprium; quia etiam ratione, essentia non dicitur proprietas Personarum, neque coniunctim, neque seorsim. Quia videlicet proprietas est vox significativa predicati, quatenus de iuncti singulariter uni soli Personae. Vnde August. lib. 3. contra Maximinum c. 10. fin. *Pater, ait, Filius, & Spiritus Sanctus, & propter individuan Deitatem unus Deus est, & propter uniuscuiusque proprietatem tres Personae sunt.* E converso notiones numerantur à Theologis communiter quinque apud Magistrum dist. 28. & cum D. Thoma q. 32. art. 3. Ex doctrina communi Sanctorum Patrum, quos exhibent Montoya de Trinit. disp. 46. sect. 1. & 2. Et Petavius lib. 4. in Procem. Superadditur enim, quatuor iam enumeratis relationibus, iisdemque simul notionibus, innascibilitas, seu ingenerabilitas, quae est altera notio propria Patris, quatenus significat improducibilitatem, prout coniunctam cum incommunicabilitate per productionem realem ab alio, siue virtualiter, siue realiter distinctam. Quae combinatio praedicatorum soli convenit Patri, ratione Paternitatis. Quia essentia Divina, & virtus Spiritalis, licet non producantur realiter, communicantur tamen, per productionem, Filio, & Spiritui Sancto. Ipse vero Filius, & Spiritus Sanctus, verè & realiter producuntur. Soli igitur convenit Patri, tanquam notio peculiaris ipsius, innascibilitas, & ingenerabilitas, prout excludit simul productionem passivam sui, & sui communicationem per productionem. Sola porro ea quinque praedicata, modò numerata, dicuntur notiones, tamen alia plura praedicata distincta ratione nostra, conveniant formaliter Personis Divinis. Quia sola illa quinque habent praecipuam quandam vim ingenerandi in audiente apprehensionem specialem dignitatis in Personis Divinis. Vnumquodque autem notificatur decentius per ea quae peculiariter spectant ad dignitatem ipsius. Decet verò, ut Personae Divinaeificentur quàm decentissime: ideoque ut notificentur per omnia, & sola illa quinque praedicata, nempe prima Persona per Paternitatem, & innascibilitatem, secunda per Filiationem, utraque simul per spirationem activam, ac demùm Tertia per spirationem passivam.

Art. 6. Ex his omnibus infertur facile intentum, de distinctione trium Personarum in Deo. Quia processio realis habet hoc ex suo conceptu, ut distinguat realiter principium producens à termino producto. Necesse similiter est, ut quod realiter refertur ad aliquid, distinguatur ab illo realiter. Neque verò realiter proprium potest inesse, nisi realiter distincto ab iis, quibus illud non est proprium, quatenus proprium opponitur communi, & non tantum alieno, quo sensu usurpatur in praesenti. Denique notio realiter specialis alicuius non permittit identitatem realem eiusdem cum illo, à quo est discernibile per ipsam. Quia nihil realiter producit seipsum, aut refertur ad seipsum, aut habet aliquid realiter proprium, seu non commune realiter alteri, nisi distinguatur realiter ab ipso; aut denique habet, vnde sit discernibile realiter ab alio, absque distinctione reali ab ipso. Per haec igitur omnia, & singula distinguuntur inter se realiter Personae divinae, quae per eadem se invicem respiciunt, ac connotant, & opponuntur inter se mutuo. Iisdem etiam, per accommodam eorundem distributionem, constituitur in se intrinsecè unaquaeque persona. Quia ad eandem reducitur, quidquid unicuique Personae singulariter convenit.

Art. 7. Processio itaque activa per Intellectum constituit primam Personam Patris, & distinguitur realiter à secunda Persona Filij. Quae similiter constituitur, & vicissim distinguitur à Patre per Processionem passivam intellectualem. Similiter processio activa per voluntatem, quae est communis primae & secundae Personae, constituit utramque, non in ratione Personae, aut Personarum, ut inferius ostendetur, sed indivisum in ratione unius spiratoris, & utramlibet, ac utramque simul distinguit realiter à Tertia Persona Spiritus sancti. Quae eodem modo constituitur spiratione passiva, & distinguitur à duabus Personis spirantibus, necnon à spiratore, qui est indivisum Pater & Filius. Eadem est proportionalis ratio, de relationibus quasi praedicamentalibus, fundatis in Processionibus: quae processiones, quatenus tales, sunt relationes transcendentales. Eadem quoque est ratio de proprietatibus, ut liquet ex data ipsarum expositione, uti etiam liquet ex notationum expositione de constitutione, & distinctione Personarum per ipsas.

Art. 8. Haec porro omnia sunt indistincta inter se virtualiter intrinsecè, in unaquaque Persona, quatenus singulariter dicuntur de ipsa. Quia nullum est tertium praedicatum, in quo realiter distinguantur, ideoque ea omnia dicuntur eodem modo obiectivè de unaquaque Persona, deque nullo eorum est praedicabile, aut negabile aliquid, quod non sit eodem modo praedicabile, & negabile de reliquis, quantum est ex parte obiecti, & independentè à modo nostro concipiendi, ut patet ex dictis quaest. 4. circa naturam, & conceptum quidditativum distinctionis virtualis intrinsecè. Omnibus itaque eis praedicatis, nempe originibus, seu processionibus, relationibus, proprietatibus, notionibus aequaliter, eodemque prorsus modo constituuntur in se, & inter se distinguuntur obiectivè Tres solae Personae Divinae. Nempe unaquaeque omnibus suis eiusmodi praedicatis. Ratione autem nostra, & secundum modum nostrum concipiendi, relatè ad connotata extrinsecè, seu relatè ad obiecta creata, consignificata in obliquo, processio, seu origo, tam activa, quam passiva praecedit formaliter, & constituit, & distinguendo unamquamque proportionaliter, seu respectivè, Personam. Quia Processio fundatur immediatè in esse, & immediatè terminatur ad esse secundum se. Cum relatio formaliter ut talis, necnon proprietas, & notio superaddant ipsi esse, conceptum aliquo modo comparativum formaliter unius cum alio. Ipsum verò esse secundum se, est in unoquoque primum omnium, ratione nostra, cum in ipso esse fundentur cetera omnia, eidemque superaddantur, ratione nostra, ad modum compositi, respectu simplicis. Esse autem proprium, & peculiare personarum Divinarum, consistit formaliter in oppositione cuiusque Personae respectu aliarum duarum, ut dicitur in quaestione sequenti. Ergo ratio processionis, quae est prima ratio oppositionis, cum sit ratio oppositionis secundum ipsum esse, est etiam prima ratio formalissima constitutionis, & distinctionis, ex modo nostro concipiendi. Ex his igitur omnibus constat, an, & quo numero, & cum quo munere dentur in Deo, ea, de quibus quaesitum fuerat, eademque esse principium insufficiens distinctionis realis praedicatorum in Deo, constituentium in se, & distinguendum inter se, non plures, nec pauciores, quam tres Personas.

Ad 1. Processio in principis, non supponit vnicè pro motu ad extrà, sed pro qualibet operatione, etiam immanente. Procedit enim, & intellectio ab intelligente, & volitio à volente, & sic de aliis eiusmodi. Deinde processio, ex suo conceptu, non inducit diversitatem, quoad omnia, inter procedentem, & productum, sed praecise, quoad id, quod producit, & quod

quod producit, quatenus producit, & producit. Neque verò repugnat diuinæ simplicitati omnis omnino diuersitas prædicatorum, sed solum diuersitas partium vnitarum inter se, aut non habentium identitatem realem propriè talem cum Diuinitate, quæ est perfectè vna, & perfectè vnica, quatenus Diuinitas est. Denique omnia, quæ sunt in Deo, sunt indistincta realiter à Deo, & existunt vi Deitatis, quæ est à se etiam virtualiter. Vnde nihil Diuinum agnoscit principium sui extra Deum. Quod autem vnum prædicatum Dei sit ab alio eiusdem prædicato, eodemque posterius sola originis posterioritate, non tollit, quominus vtrumque absolute, & simpliciter sit ens à se. Quia non tollit, quominus vtrumque sit à Deo, cui sub conceptu entis à se, solum negatur principium extra ipsum, & distinctum ab ipso, respectu prædicatorum omnium identificatorum realiter cum eodem.

Art. 1. Ad 2. Relationi negatur prædicatio de aliquo. Quia vt relatio est formaliter, est ad aliquid, & non in aliquo; ideoque formaliter dicitur ad aliquid, & non de aliquo. Quod tamen non obstat, quominus relatio, secundum conceptum *in*, qui est ipsi communis cum aliis accidentibus; dicatur re ipsa de subiecto, quod refert, & cui re ipsa inest. Multò verò magis, dicitur de Deo sua relatio, secundum eundem conceptum *in*. Quia est idem realiter cum ipso. Distinctio ista relationis per conceptum *in*, & per conceptum *ad*, inducta est à Theologis iam olim, claritatis gratia, quam tamen, an obtinuerint, an impedierint, non admodum liquet; satis constat præcisionem relationis à conceptu *ad*, per conceptum solius *in*, esse præcisionem à ratione differentiali eiusdem. Quia, quod relatio inest rei, quam refert, est ipsi omnino commune cum omnibus aliis, cuiuscunque generis, prædicatis convenientibus vniciuis entitati. Vnde, quæ dicuntur de relatione præcisè secundum conceptum *in*, non dicuntur de relatione, vt relatio est formaliter, sed de ipsa materialiter sumpta, nisi fiat conceptus reflexus, seu quasi reflexus ipsius rationis formalis *ad*, quatenus identificat, vel qualitercumque coniuncta cum eo, quod refert ad aliud, seu facit ad aliud se habere. Quapropter, quod dictum est de relatione, secundum conceptum *in*, esse prædicabilem de subiecto, cui inest, non verò secundum conceptum *ad*, perinde re ipsa est, ac relationem adæquatè sumptam non comparari ab intellectu formaliter, & explicitè cum termino, ad quem refert, per actum intellectus, per quem formaliter & explicitè comparatur cum subiecto, cui inest, & quod refert. Quæ diuersa comparabilitas per actum intellectus, est peculiaris, & propria relationis; cum cætera, quatenus præscindunt à relatione, solum sint comparabilia per intellectum, cum subiecto, seu quasi subiecto, cui insunt.

Art. 2. Deinde relationi non est denineta distinctio inter extrema relata, nisi quatenus alterum eorum refert ad alterum. Vnde relatio diuina ad intra solas multiplicat Personas, & non naturam. Quia solas refert Personas, & non naturam; Quandoquidem solas producant, & producantur Personalitates, seu Personæ ratione personalitatum, non verò natura, seu Personæ ratione naturæ, vt dictum est, & exponetur magis infra. Neque verò repugnat Deo, sicut repugnat creaturis, pluralitas realis realiter identificata cum vnitatem reali, secundum diuersa prædicata, vt dictum est in quaestione præcedenti, atque adeo non repugnat producibilitas actiua, & passiuæ, quoad aliqua prædicata, coniuncta cum omnimoda improducibilitate quoad aliud prædicatum indistinctum realiter ab illis: & consequenter nec repugnat pro-

R. P. Espartero. Curs. Theol. Tom. I.

portionalis relatio, & non relatio inductiua pluralitatis, & vnitatis secundum diuersa, diuersitate virtuali intrinseca.

Art. 3. Præterea relatio Dei ad intra, conuenit ipsi necessariò, ex natura rei. Relatio verò ad extra conuenit eidem liberè per actus intellectus, & voluntatis, & non præcisè ex sua natura, secundum se. Vnde relatio ad intra, dicitur, & est omnino realis, vt potè conueniens ex natura rei, & non per actus rationis. Relatio verò ad extra, est solum rationis ex parte Dei, vt potè constituta eatenus per solos actus rationis, solumque est realis ex parte creaturarum, vt potè dependentium à Deo ex sua natura, & non solum per actus superadditos rationis, nempe intellectus & voluntatis, quæ est intentio, & doctrina D. Thomæ eodem illo in loco. Iam verò, quod aliquid diuinum supponat aliquid aliud diuinum, nullus est incommodi, dummodò Diuinitas nihil ante se supponat. Eo namque ipso saluatur, quod nihil Diuinum supponat aliquid aliud, nec sit posterius aliquo alio, in vilo genere, secundum suam naturam, & essentiam, sed solum supponat aliquid Personale, & respectiuium, tanquam prius origine, idque eiusdem quidem generis, seu quasi generis subalterni, sed cum diuersitate secundum vltimum, & adæquatam conceptum, iuxta dicta.

Art. 4. Denique non repugnat, vt quod ex suo conceptu generico, & ex se præcisè, ac formaliter non est magnæ entitatis, sit maximæ nihilominus entitatis re ipsa secundum suum conceptum adæquatam, ac vltimum. Sic autem accidit in relatione diuina. Quia diuinitas identificat sibi, ex suo conceptu, omnia, quæ sunt in Deo. Vnde ex quo intelliguntur contracta ad Deum, intelliguntur eo ipso, cum summa & infinita perfectione: licet ab ea præscindant secundum suum conceptum peculiarem, quatenus præcisum formaliter à Diuinitate, & ab identitate cum Diuinitate, vt clariùs apparabit in quaest. seq.

Ad 3. Ex dictis in quaestione 9. conitat, quo sensu Deus sit nominabilis: & quo non sit, & quod potius innominabilis dicatur, tametsi aliquantulum nominabilis sit re ipsa. At quoad relationes, & Personalitates, nominabilis potius videtur, quàm innominabilis, supposita fide. Quia sub hoc conceptu non importatur formaliter infinitas perfectionis, quæ vsque adeo superet conceptionem quasi specificam intellectus nostri de ipsis, ob quam tamen exuperantiam perfectionis supra captum nostrum, dictus est potius innominabilis Deus, quàm Deus, & quoad diuinitatè, in ea q. 9.

Art. 1. Ad 4. In quaestione sequenti innotescet Personas Diuinas importare in recto Personalitates, quæ sunt plures, & in obliquo Deitatem, quæ est vna; atque conceptum Dei opposito modo se habere, ideoque Deum esse vnum, & Personas esse plures. Quæ diuersitas secundum rem ipsam, & quoad fundamentum eiusmodi diuersitatis nostrorum conceptuum, repugnat in rebus creatis, propter repugnantiam identitatis realis inter vnitatem, & pluralitatem reales, superius explicatam.

Art. 2. Controuersia de numero, quæ tangitur in obiectione, licet fuisse à nonnullis tractetur, plurimis hinc & inde argumentis & notationibus, re ipsa est levis, & dirimitur facile, notata duplici vnitatis vsurpatione, quam tradit D. Thomas de Potentia q. 9. art. 7. & in præsentis q. 30. art. 3. cum fundamento in Philosopho dicente 4. Phys. c. 12. text. 135. numerum fieri, vel diuisione continui, vel diuisione communis, in quo vniuntur diuisa. Itaque vnum ex mente D. Thomæ sumitur primò, vt prædicatum transcendente conuertibile cum ente, prout superaddens solam negationem diuisionis, supra conceptum

N. 3.

absolutum

absolutum ipsius entis secundum se; atque hæc vnitas est communis rebus materialibus, & immaterialibus, compositis, & simplicibus, sicut est communis ipsa ratio entis. Secundò vnum usurpatur vt proprietates rei materialis inducentis multipliciter indiuidualem per diuisionem sui, & per adiunctam collectionem accidentium indiuidualium. Hæc posterior vnitas est principium numeri, qui est species quantitatis discreta, ideoque repugnat Deo, simul cum numero fundato in ipsa. Quia repugnat Deo quantitas, & consequenter diuisio, & numerabilitas fundata in quantitate, & constituentes determinatam speciem quantitatis. At prior vnitas nullam in suo conceptu includit imperfectionem, ideoque conuenit Deo, & secundum absoluta, & secundum relatiua. Quia verò, quoad absoluta, non datur nisi vna vnitas, non datur in Deo numerus realis, quoad absoluta. Ratione contraria datur numerus in eadem, quoad relatiua, fundatus in vnitate transcendentali, & conuertibili cum ente. Quia dantur plures eiusmodi vnitates reales quoad relatiua, & consequenter datur numerus quoad eadem fundatus in eadem vnitate. Quia numerus est indistinctus à pluralitate vnitarum, estque eiusdem generis, cuius sunt ipsæ vnitates. Cum igitur vnaquæque persona sit verè, ac propriè vna vnitate transcendentali, quatenus ita est indiuisa in se, vt simul sit diuisa à reliquis duabus, includens in se negationem identitatis cum illis, id est, diuisionem ab iisdem, coniunctam cum indiuisione sui in se, suntque simul plures realiter personæ, id est, plures vnitates; patet dari in Deo numerum realem Personarum; nempe Ternarium. Qua de causa Deus verè & propriè dicitur Trinitas.

Art. 3. Notandum hic est cum Valentia, Arribal, & aliis, non posse Deum similiter dici Triplicitatem, aut Triplicem. Quia Triplicitas, vltra numerum ternarium, affirmabilem propriè de Personis Diuinis sensu explicato, superaddit proportionem excessus in eo, quod dicitur triplex, super illud, respectu cuius dicitur triplex; excessus verò non solum quoad numerum, sed etiam quoad magnitudinem, & quoad conceptum realiter adæquatum rei significatæ. Huiusmodi autem excessus non habet locum in Deo, nec conuenit tribus Personis simul sumptis, respectu cuiusque personæ seorsim sumptæ, vt infra dicitur semel, atque iterum. Hinc Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei, declarat: *Hæc est Sanctæ Trinitatis relatiua narratio, quæ non triplex, sed Trinitas dici debet.* Idem traditur fusiùs ab August. 1. 6. de Trinit. c. 8. Licet nihilominus esse, ac tolerandum vsum duplicis, triplicis, duplicitatis, & triplicitatis, adiunctis particulis, expressè referentibus, ac restringentibus ad notionalia, pluribus SS. PP. exemplis commonstrat Mont. d. 38. de Trinit. sect. 4.



QVÆSTIO XL.

Vtrum perfectiones, aliaque Prædicata Diuina, multiplicentur iuxta multipliciter Personarum?



IDENTITAS multiplicari præsertim Perfectiones. 1. Quia relationes, & Personalitates Diuinæ, ex se præcisè, & prout distinctæ virtualiter ab essentia, sunt prædicata simpliciter, & absolute necessaria; necessariò proinde volita à Deo,

minimeque contemptibilia ab eodem, distincta ab omni ente creato, id est, ab omni finito, ac limitato; & capacia identitatis realis cum Deo; ac demum talia, quibus sublati, nec Deus esset Deus, nec esset infinite perfectus, neque completè beatus; & cum quibus, tanquam cum tribus peculiaribus pulchritudinis infinite accessibus, & quasi partibus, reuelatur per fidem, quoddam, vltra captum rationis naturalis, summè & infinite pulchrum, quod est Deus Trinus, & Vnus, non minus amabilis, ac adorabilis, quàm Trinus est, quàm quæ est Vnus. Hæc autem omnia & singula includunt in suo conceptu formali rationem bonitatis, & perfectionis peculiaris, vt per se patet. Ea verò omnia attribunt frequenter Personalitatibus Diuinis Sancti Patres, efferentes simul pluraliter perfectionem circa ipsas, apud Fasol. q. 28. art. 2. dubit. 5. à nu. 129. Dubitari igitur minime potest, quin Personæ Diuinæ, quatenus præscindunt ab essentia Diuina, præditæ sint perfectione peculiari, eamque multiplicent pro multiplicitate Personarum.

2. Personalitatibus, & relationibus Diuinis, vt præcisè à natura Diuina, conuenit formaliter ratione sui esse verè & propriè tales, atque esse oppositas nihilo, & repugnantia sui. Alias non essent in Deo tres realitates, sed solum tria quadam prædicata distincta per rationem concipientem ad modum relatiuorum, quæ non sunt in se intrinsecè relatiua. Quæ est hæresis olim tradita à Gilberto Porretano, & reprobata ab omnibus Catholicis. De qua re videri potest Montoya disp. 26. de Trinit. Nequit autem multiplicari esse, seu ratio entitatis realis, quin simul multiplicentur prædicata transcendentalia veri, & boni. Quæ videlicet sunt conuertibilia formaliter cum ente, & cum realitate positiua. Ergo dantur in Deo tres similiter veritates, & tres bonitates reales; id est, totidem perfectiones reales.

3. Humanitati assumptæ à Verbo Diuino, sola vnita est Personalitas, & non natura, vt statuitur quæst. 21. de Incarnat. & nihilominus eadem Humanitas sanctificata est, & ineffabiliter perfecta per eam vnionem, vt habetur ibid. quæst. 24. Ergo communicatio personalitatis secundum se formaliter, est communicatio perfectionis; Atque ideo inest perfectio aliqua peculiaris personalitatibus Diuinis secundum se.

4. Conceptus Personæ ex sua ratione est absolutus, minimeque relatiuus. Quia est conceptus subsistentis in se, & per se; in quo conceptu nulla exprimitur, aut continetur relatio ad aliquid aliud. Ergo sicut nihilominus multiplicatur in Deo realiter Personalitas, propter identitatem cum relatione; ita cætera quoque absoluta multiplicentur in Deo realiter, propter eandem identitatem cum relationibus.

Art. 1. Resp. In Diuinis omnia esse idem, vbi non obuiat relationis oppositio. Est dignitas Theologica, munita auctoritate Concilij Toletani 11. & Florentini, atque vnanimi consensu SS. PP. apud Montoyam disp. 9. de Trinit. sect. 2. & 5. & disp. 68. sect. 4. Toletanum in Confessione fidei c. 1. In relatione Personarum, ait, numerus cernitur. Et paulò post: Hoc solum numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. In Florentino sess. 18. §. Dixit; Equidem, sola relatio, ait Ioannes Theologus approbante tacitè Concilio, apud omnes Græcos, & Latinos Doctores, diuina processione Personas multiplicat: ita vt non alia ratione, quàm vi relationis, vna Persona ab alia differat. Itaque nullum ex iis prædicatis multiplicatur in Deo, penes quæ nulla obuiat relationis oppositio. Nulla autem obuiat relationis oppositio penes ullam perfectionem. Quia nulla est talis